



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

46. Praestaria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

nominato proprio sudore Staricholfus adquisivit, & cum manu advocati sui Richmari ad prædictum cœnobium contradidit, mihiq; & legitimæ meæ procreationi sub ea ratione possidendum dereliquit ut censum exinde annis singulis persolvamus, id est, duos denarios vel duos maldros de grano. Si autem ego illas redimere velim, cum uno solido id agam. Si verò ego illas non redimam, legitimi heredes mei sub prædicto censu eas possideant. Si autem hoc evenierit ut legitimi heredes mei deficiant atque in sua ingenuitate non permaneant integerrimè, statim ad prædictum redeant cœnobium perpetualiter possidendum, nullusque eas ulterius licentiam abstrahendi habeat, sed pro remedio animæ meæ necnon & Staricholfi semper illuc sint deligatæ, cum pratis, pascuis, silvis, marchis, viis, aquis, aquarumque decursibus, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, quicquid dici vel nominari potest. Hanc autem traditionem ideo ego facere volui quia illa prior traditio quam Staricholfus fecit, non perfecta nec literis fuit mandata. Quod si ego ipse vel ulla opposita persona contra hanc traditionis chartulam venire tentaverit, auri uncias tres, argenti pondera quinque ad ærarium Regis coactus persolvat, & effectum quem inchoavit non perficiat, sed hæc charta stabilis & firma permaneat, cum stipulatione subnixa. Actum in ipso cœnobio sancti Galli, præsentibus istis quorum hic signacula, continentur. Signum Wolfhugi, qui hanc traditionem fecit. Sig. Heitar. † Amalunc. † Witigouvo. † Tagibreht. † Ricman. † Enno &c. Ego igitur Iso inmerens monachus rogatus scripti & subscripti. Notavi diem dominicum iv. Kal. Jun. anno x i i i. regni Lodoiçi, sub Odalrico Comite.

Item alia.

XLV. Ego in Dei nomine illa cum manu advocati mei nomine illo trado ad monasterium sancti illius mancipia totidem, quorum hæc sunt nomina. Sed extra hos unum servum emptitium nomine illo. In ea videlicet ratione ut ea habeam tempus vitæ meæ, censumque annis singulis solvam, id est, tantum. Et si redimere voluero, eum tanto redimam. Illum verò supranominatum servum nomine illo in eundem censum habeam tempus vitæ meæ. Et si redimere voluero, cum tanto pretio redimam. Post obitum verò meum, si antè non redimero, omnia ad jamdictum

monasterium redeant perpetim possidenda. Si quis verò contra hanc chartulam traditionis venire atque inrumpere tentaverit, illa multa componat sicut in lege Alamannorum continetur. Actum in illo loco publicè &c.

Præstaria.

XLVI. Christi enim favente clementia ille Abbas monasterij illius sancti. Convenit unà cum consensu fratrum nostrorum ut illa mancipia, quæ nobis ille de illo loco tradidit, ei iterum per præstarium repræstaremus, quorum hæc sunt nomina, illum & ejus sobolem his nominibus, sed extra hos unum servum emptitium, in ea videlicet ratione ut ea habeat tempus vitæ suæ, censumque annis singulis inde solvat, & si redimere voluerit, cum illo pretio redimat. Illum verò supranominatum servum illum in eundem censum habeat tempus vitæ suæ; & si redimere voluerit, cum illo pretio redimat. Post obitum verò ejus omnia ad supradictum monasterium redeant perpetim possidenda, si antè non redemerit. Actum in ipso monasterio publicè, præsentibus istis quorum hic signacula continentur. Signum Decani, Præpositi, Cellarij, Sacratarij, Portarij, Hospitarij, Camerarij. Sig. aliorum testium. Ego itaque ille scripti & subscripti. Notavi diem illum, illa data, anno illo illius Imperatoris, sub illo Comite.

Vindicatio traditionis.

XLVII. Dum constet plurimis quòd à quodam homine nomine illo advocatus cœnobij sancti illius, pro rebus quas ille in illo loco sitas ad partem jamdicti monasterij contradidit, frequenter pro illis rebus interpellatus est. Quæ ex re utrinque complacuit atque convenit ut devitandæ deinceps causæ contentionis præfata res, pro quibus nos & advocatum nostrum interpellat, ad nos pleniter id est ad potestatem monasterij redeant perpetim possidenda, accipiaturque à parte ejusdem monasterij aliquo territorium in confinio villæ illius nomine nuncupata, hoc est, totidem juchos, sub tali conventione ut etiam deinceps neutra ullam inquietudinem seu repetitionem moliat. Quòd si inchoatum fuerit, sit tunc pars alteri tantum culpabilis quantum expetit, & quòd malo ingenio repetit evindicare non valeat, sed præsens conventionis chartula perennem obtineat vigorem, stipulatione subnixa. Actum in illo loco publicè. Signum illius Abbatis & advocati sui illius, qui hanc